



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Vices apostolicæ sedis conceßas olim fuiße Ecclesiæ Arelatensi probatur auctoritate Gregorij septimi. Desiit autem ea auctoritas post Gregorium Magnum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

vidatur. Respiciebat fortassis ad epistolam de-
cessoris sui Pelagij, qui ita scripserat ad Episcopos
qui ad synodum CP. convenerant evocati à Ioanne CP. Episcopo: Scitote certam provinciam esse quæ habet decem vel undecim civitates & unum Regem & totidem minores potestates sub se & unum Episcopum aliòsque suffraganeos decem vel undecim Episcopos iudices, ad quorum iudicium omnes causæ Episcoporum & reliquorum sacerdotum ac civitatum causæ referantur. Hanc eandem regulam, ut hoc obiter dicam, in medium adduxit Urbanus II. cum episcopatum Atrebatensem restitueret. Liqueat sanctorum canonum institutis integram esse provinciam & Metropolitanum proprium debere sortiri quæ duodecim constat episcopatibus.

VII. Post aliquot exinde annos Gregorius de salute Anglorum sollicitus, Augustinum in eam insulam misit cum dignitate & auctoritate Vicarij sedis apostolicæ. Et quia ille, ut in Angliam trajiceret, Galliam per Massiliam & Arelatem petiturus erat, literas ei commendatorias dedit ad Virgilium, in quibus eum vocat Metropolitanum Galliarum, quòd primi sacerdotis locum teneret intra Gallias, ut Pelagij primi verbis utamur. Cum verò Augustinus postea consisteret in Anglia, deque multis disciplinæ capitibus consulisset Gregorium, inter alia petit qualiter deberet cum Galliarum atque Britannorum Episcopis agere. Ad quæ Pontifex ita respondit: In Galliarum Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus; quia ab antiquis predecessorum nostrorum temporibus Pallium Arelatenfis Episcopus accepit; quem nos privare auctoritate percepta minimè debemus. Virgilius erat tum Arelatenfis Episcopus. Is verò Pallium non acceperat ab antiquis predecessorum Gregorij temporibus, sed à Gregorio. Itaque sic explicandus est hic locus, ut dicere voluerit Gregorius Pallium Arelatenfi Episcopo, quisquis is tandem foret, perpetuo privilegio, cui derogari non debebat, tributum fuisse ab antiquis temporibus; sicut suprâ simili argumento ostendimus omnes Illyricianas Ecclesias pertinuisse ad curam Thessalonicensis antistitis, quisquis is tandem foret, adeoque privilegium Episcopi Thessalonicensis fuisse perpetuum.

VIII. Arelatenfi Ecclesiæ tributas fuisse olim vices apostolicæ sedis aperte scribit Gregorius VII. ad Archiepiscopum Remensem his verbis: *Inde est quòd Arelatenfis Ecclesie non solum à beato Gregorio doctore dulcissimo, sed etiam à pluribus ejus sanctis antecessoribus, cum haberet vicem sedis apostolicæ, ut omnes Episcopos totius regni Francorum, quod tunc latius extendebatur, ad Concilium convoca-*

ret, eosque in iudicio constringeret, sine cujus licentia nullis de supradictis Episcopis longè à suo episcopatu fas erat abire, post aliqua tempora pro quibusdam causis predicta potestas & auctoritas cessavit, & suam vicem aliis quibus placuit sedes apostolica concessit. Quibus verbis innuere hoc quoque videtur Gregorius, defuisse eam Arelatenfium Episcoporum auctoritatem post tempora Gregorij Magni.

CAPVT XL.

Synopsis.

I. Extincto Virgilio Episcopo Arelatenfi, extincta quoque est vicaria dignitas Ecclesie Arelatenfis. Neque enim constat Ioannem aut Felicem, qui postea sedem illam tenuerunt, fuisse Vicarios apostolicæ sedis.

II. Rolandus postea tentavit restaurare antiquam Ecclesie sue dignitatem, irritò conatu.

III. Felicitus fuit Rostagnus, qui Pallium & vices apostolicæ sedis accepit à Ioanne VIII. Papa. Verum non constat an ea auctoritate usus sit. Certe in Conciliis deinde subscripsit longo intervallo post alios Episcopos.

IV. Temeritas Rostagni in ordinatione Episcopi Narbonensis repressa. Saxius refellitur, qui putavit Ioannem Pontificem Romanum ad Rostagnum subscripsisse uti Agnus Narbonensis Episcopus deponeretur.

V. Raimbaldus vices apostolicæ sedis obtinuit seculo sequenti, & subjectionem Metropolitanam Aquisensis. Atamen ista auctoritas diu non valuit.

VI. Vnicum illud privilegium sequenti tempore habuit Arelatenfis Archiepiscopus, ut nulli prorsus Legato, nisi ei tantum qui de Romani Pontificis latere destinatus esset, subiceretur. Probatum ex Innocentio III.

EXTINCTO itaque Virgilio, extinctam quoque fuisse puto vicariam dignitatem Ecclesie Arelatenfis. Certè non video quemquam eorum qui post ista tempora cathedram Arelatenfem tenuerunt appellari Vicarium apostolicæ sedis, neque aliqua magna aut extraordinaria auctoritate instructum fuisse. Vnus Ioannes Arelatenfis Episcopus occurrit, cui anno DCLXVIII. Vitalianus Papa commendavit Theodorum Episcopum & Adrianum Abbatem in Angliam profecturos. Quod ut explicari fortassis posset ex epistola Gregorij Magni, cum Virgilio commendaret Augustinum, sic intelligi potest de simplici epistola commendatoria ad Ioannem scripta, quòd necessario eundem viris illis esset per Arelatenfem civitatem. In Concilio Romano quod ab Agathone Papa habitum est anno DCLXXX. subscripsit Felix Episcopus Arelatenfis, Legatus venerabilis synodi per Galliarum provincias constitutus. Sed hinc nulla prerogativa Episcopi Arelatenfis colligi potest. Quippe

Vide supra 17. l. 1. c. 14. l. 1.

Apud Moscos in
vici. Eusebii
2. l. 1. c. 23. &
7. l. 1. c. 1. &
Basil. pag. 113.

2. Corp. lib. 5. Tur
4. l. 1. c. 1. p. 113.

Florian. l. 1.
c. 1. p. 113.

Item lib. 11. In
4. l. 1. c. 1. p. 113.

Historia cap. 22.
l. 1.

Greg. VII. lib.
6. p. 113.

Beda l. 1. c. 1. p. 113.